

**P**orto sancto Insula in Oceano occidentali sita sub gradibus 0. 35. 31. 30. Medera insula ibidem, quæ à Portugalesibus primum inhabitatur circa annos Christi 1455. Frugifera ualde omnis generis specierum, Zuccari, Mellis, Cerae, Orisellæ herbæ, tincturæ utilis, quæ cum Medera olim Gorgodes erant dictæ, subest gradibus 358. 40. 29. 50. Canariæ insulæ numero 10, à Ptole. olim Fortunatæ dictæ sunt, sub gradibus 1. 30. 23. 30. Caput Viridum promontorium est, olim Hesperides insulæ in Oceano occidentali sub gradibus 357, 0, 12. 30. Tres Insulæ in Oceano occidentali, ubi noua nauigatio uersus meridiem flectitur, proxima continenti. Albasita sub gradibus 37, 20, 4, 0. Sequens eam Principis insula dicitur, sita sub gradibus 35, 0, 2, 0. Vltima earum plus australior S. Thomæ insula est, sub gradibus 32, 30, 0, 30. Hæ tres insulæ circa annos Christi 1484. primum inhabitantur a Portugalen. Madagascar insula, quæ & S. Laurentij, uel etiam S. Georgij insula uocatur ad mare Prassodum posita, ibi tempore Iohannis de monte uilla, reperiuntur homines capita habentes canina, polus Arcticus ibi minime conspicitur, quare huc nauigantes Astrolabij utuntur, nam magnes ibidem uirtute sua priuatur, sunt Machometistæ, situs eius est sub gradibus 85, 30, 20, 0.

## ASIAE PARTICULARIS DESCRIPTIO.

De Ponto ac Bithynia, Asia proprie, Lycia, Galatia, ac Paphlagonia, Pamphilia, Cappadotia, Armenia minore & Cilicia.

### CAPVT XIII.

**P**onti ac Bythyniæ termini sunt, ab occasu Bosphorus Thracius, & Propotidis pars, à septentrione Pontus Euxinus, ab ortu Galatia, à meridie regio, quæ proprie Asia minor dicitur, olim Bebrycia, deinde Mygdonia, ipsa est minor Phrygia, quæ hodie Natulia uocatur, urbium diues, & opulenta rerum, est sub Imperio Turci. Eius urbes Nicomedia 56, 0 42, 40. Apamia 55, 30, 42, 0. Heraclea ponti 58, 50, 43, 30. Nicea, Golia modo 58, 0, 42, 15. Asia proprie, habet à septentrione Bithyniam, ab occasu Propontidem, Hellesponthum, ac Egeum pelagus, quod hys in locis Icarium ac Myrtoum dicitur, à meridie Rhodiense pelagus, ab ortu Lyciam, Pamphyliam, ac Galatiam. Comprehendit autem Asia hæc Phrygiam magnam, Cariam, Mysias duas, maiorem & minorem, Atoliam, Ioniam ac Doridem regiones. Hæc hodie cum adiacentibus regionibus, magna Thurcia dicitur, quæ populosa est, uariarum sectarum Turcorum, Græcorum, Iacobitarum, Armeniorum, ciuitates habent Ilium, hodie Troia, sub gradibus 55, 50, 41, 0. Ephesus 57, 40, 37, 40. Pergamum 57, 35, 39, 45. Thyatira 58, 0, 39, 40. Sardis 58, 40, 38, 15. Philadelphia 59, 0, 38, 50. Laodicea 59, 15, 38, 40.

Lycia terminatur ab occasu & septentrione regione, quæ proprie Asia dicitur, ab ortu Pamphilia, à meridie mari proprio. In ea fluius uulgatissimus Xanthus est, urbes præclaræ sunt. Patara 60, 30, 36, 10. Myra 61, 0, 36, 45. Galatia, limites habet ab occasu Bithyniam, & partem Asiæ proprie, à meridie Pamphiliam, ab ortu Cappadociam,